



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 1. De compensatione occulta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

noribus arbitraria, in gravioribus suprema erit aliquando, puta, si læsæ maiestatis crimen admissum sit, effringendo carcerem, vi eripiendo vinclos, manum iniiciendo apparitoribus, cum actu exequantur. Non enim illorum persona,

ac potestas, sed ipsius Principis violatur. Meritò igitur capitis rei sunt. *Barr. in l. si quis. §. si quos ff. de penis. l. Si non convitii. c. de inur. Guido Papa. decis. 537. n. 5. Tholos. l. 47. c. 40. n. 27. Iul. Clarus. q. 29. & q. 68. nu. 10. Placa. l. 1. delicti. c. 38. n. 7.*

TITVLVS XII.

De Executione privata.

EXecutionem privatam voco, quæ absque iudicis auctoritate, & interuentu, iuris naturalis permissione, vel tacito legum consensu ab illis fit, qui, quod sibi debetur, ordinariis medijs consequi non possunt. Titius, ut exemplo declararem equum meum possidet, nec adigi ulla ratione potest, ut iniuriam agnoscat, & alienum restituat, ideo equum aufero, vel equo par pretium. Iuste actum DD. communi assensu farentur. Sed quia hic modus periculo non vacat, & ciere turbas potest, cautelis firmandus est. *Gloss. in c. Ius Gentium. dist. 1.*

§. I.

De compensatione occulta.

Compensatio est debiti & crediti inter se contributio. hoc est, quantitatum, in quibus duo sunt sibi invicem debitores, & creditores, ut id detrahatur de eo, quod reus debet, minimeque debitum censetur, at pronuncietur, quia vicissim ei actor debet. *l. 1. ff. de compens. Molina disp. 560. Sily. V. Compensatio. Arra-*

gon. in 2. 2. q. 62. art. 2. Fill. tr. 39. c. 10. n. 167. Duplex est, publica, & privata. Aliquando enim conficitur auctoritate iudicis ad instantiam debitoris, excipientis de compensatione. *c. Bona fides. de depof.* Aliquando cum iudicis copia non est, vel alia impedimenta sunt privatâ auctoritate fieri potest, non reddendo rem alienam, aut vendicando sibi suam si extat, vel loco illius, quod eiusdem pretii est. Vnde sequitur, vim solutionis habere, & eius locum supplere. *l. Si debitor. ff. qui potior. in pign.*

II. Cum tua res apud alium extat iusto titulo, puta locati, commodati, pignoris, &c. non licet occultè tibi illam reperere, & auferre: modò spes sit illam suo tempore recuperandi. Nam ita auferendo privatur iure suo possessor, cum quo conventum scilicet, ut tanto, vel tanto uti possit re locatâ, vel commodatâ. Ita communiter Theologi eum *S. Thom. in 2. 2. q. 66. art. 5. Caiet. & alii*, qui addunt ad restitutionem teneri, quando res alicuius momenti est, & illius subtractio damnofa.

Excipe

Excipe, si iniusto titulo apud alium sit. Tunc enim peccabit quidem, sine auctoritate publicâ sibi vendicans, sed ab onere restituendi liber est. *Caietan. l. cit. Domin. Soto l. 5. quest. 3. art. 3. Navarr. c. 17. num. 113. Less. c. 12. dub. 10. Armilla V. Furtum. n. 3. qui addit, insinuandum hoc postea antiquo possessori, ut sciat extinctam esse obligationem restituendi.*

III. Ut licitè fiat rei suæ occulta vendicatio, aut compensatio requiritur

Primo, ut neque scandali alicuius, neque perturbationis ullum in rep. periculum sit. Sic enim reb. propriis consulendum nobis, ut ne communibus obstruamus.

Secundò, Ut iudex desit, cuius operâ, & auctoritate reperatur, & alius nullus occurrat, vel separari queat modus recuperandi.

Tertiò ut repetitio fiat absque iniuriâ domesticorum & damno, qui fortè depositi loco rem haberent, eamque defendere pro viribus conarentur.

His observatis rem tuam, vel aliam illi æquivalentem poteris auferre, & tibi vendicare. Nulli enim tunc iniuria inferatur. *Less. loc. cit. Tholos. l. 21. c. 12. Navarr. l. 3. consil. 1. Molina disp. 690. Cardin. Lugo disp. 16. sect. 5. n. 87. & seqq.*

IV. Prædictis conditionibus *Silv. V. Furtum. n. 17.* tres alias associat. Prima est, ut certus, & minime dubius sit de re sua aut sibi debita; aliâs manifesto peccandi periculo se exponit. *c. Bona fides. de depos.*

Secunda, ut absit periculum infamiae ex occulta surreptione oriturae. Crudelis enim est, qui famam suam negligit. *c. No. 10. 12. q. 1. 1.*

Tertia, ut conscientia sit stabilita, ita ut ne aliquid contra eam fiat, nec putet quis se venturum in tentationem peccati mortalis, paratus scilicet peierare, si interrogetur, Concludit tãdem peccare, sed non teneri ad restituendû, qui rem suam & nõ alienam aufert: quod intellige, secundùm superius dicta, si alio modo, quàm per occultam compensationem recuperare possit, vel damnû inde timeretur alteri. *Regin. l. 23. c. 1. q. 1. num. 7. Comitol. l. 3. q. 89. Card. Tuschus concl. 490. Laym. l. 3. tract. 5. c. 9. Filliuc. tract. 39. c. 10. num. 169. Menoch. casu 14. Sanchez. l. 1. consil. c. 1. d. 4. num. 8.* ubi à recentiore quodam tradi scribit, quod accipiens rem, quam dubitat esse suam vel possidentis, peccet quidem accipiendo, sed ad restitutionem non teneatur, quamdiu dubius manet. Quam opinionem *Emman. Sa. V. Furtum. n. 5.* non habere locum putat, quando res illa iam in alterius possessione est. Quod omninò verum censeo, quia possessione sua nemo, nisi legitime, privandus est. *V. Azor. l. 2. c. 19.*

V. Ex dictis sequitur Primo, eum, qui licita compensatione rem suam obtinuit, non teneri ad revelandum, quamvis id Prælatus Ecclesiasticus per Bullam excommunicationis mandaret, quia ejusmodi mandata, vel minæ peccatum mortale supponunt, cuius hic nulla species. Idem dicendum de aliis omnibus, qui scirent à Titio bona quædam per occultam compensationem iustè sublata esse. Secundò, rogatum à iudice, num abstulerit rem, etiam cum iuramento respondere posse, à se factum non esse,

subia

subintelligendo eo modo, quo iudex interrogare debet, nimirum præcedente famâ, vel aliis iudiciis. Tertio non peccare, saltem graviter, nec contra iustitiam famulos, & famulas, quibus condita stipendia vel non dantur, vel acciduntur, si (quod difficile) servatâ moderatione ex rebus dominorum suorum sibi sumant tantum, quantum ex contractu debetur. Item, si ad extraordinarios labores & onera cogantur, nullo mercedis augmento. Quam ob causam Deus olim Iudæis permisit, ut ab Ægyptiis aurea vasa accipientes abirent. Ex. 12. Quarto, Cùm res tua in specie extat apud Sempronium, ipseque restituere nolit, & alia media desint, potes etiam armatâ manu domum invadere, & quod tuum est, eripere, intactis omnibus aliis. Hoc enim non est alium aggredi, sed contra alium se defendere. V. Decium in reg. iur. 136. V. usq. de rest. c. 5. nu. 50. Arragon. 2. 2. qu. 62. art. 2. Navarr. cap. 17. n. 113. & seqq. Cardin. Lugo disp. 16. sect. 6. n. 109. & n. 131.

VI. Occulta compensatio etiam in promissis locum habet. Nam si duo invicem promiserint, & alter præstare nolit quod promissit, socius in compensationem retinere potest, quod daturus erat. Nec opus est cum Navarroc. 18. n. 7. restringere ad donationem remuneratorem. Quocumque enim respectu facta sit promissio, si prior cesset, posterior ad nihil tenetur, tum quia hæc debita ejusdem rationis sunt, quoad obligationem, tum quia præsumitur secundum promissorem noluisse obligare se eo eventu, quo contingeret priorem fidei datâ immemorem esse, & ingratum. Aliqui tamen dubitant, an ejusmodi ingratitudo sufficiens

fit ad revocandam donationem jam opere completam: Ut ut sit, probabile manet ex bonis ingrati promissoris occultè surripi posse tantum, quantum valeret id, quod daturus jam se pollicitus est.

Cùm enim supponamus, serjam & minimè fictam ipsius promissionem fuisse, & cum pacto acceptatam, effectu carere non debet.

VII. In juramento an fas sit compensatione uti, dubitatur; ut si quis alteri se daturum 100. aureos juraverit, liceat non solvere, eò quòd tantundem sibi alter debeat. Multi negant, eò quòd compensatio non est vera, sed ficta solutio. I. Si cum filio ff. de compens. &c. ad nostram de iureiur. ubi fructus ex pignore percepti in sortem debitam non computantur, quia debitor iureiurando obstrictus erat. Hanc opinionem tutiorem pronunciat Greg. Lopez l. 20. in it. Nihilominus licitam esse etiam in juramento compensationem probabilius est. Etenim compensatio talis vera satisfactio & solutio est. l. 4. §. solvisti ff. de re iudic. & eundem effectum producit, quamvis ficta solutio appelletur. Solvisti aut l. Consult. in cit. l. accipere debemus non tantum eum, qui solvit, verum omnem omnino qui eâ obligatione liberatus est. Neque obstat. d. c. Ad nostram de iureiur. quia vel non erat liquidum debitum, de quo ibi agitur, fructuum, vel jurârat ille se soluturum obligando se expressè ad non utendum compensatione. Bart. Baldus. Cumanus, Faber, Angelus, Abb. Alexand. Covarr. de pactis. 1. p. §. 4. n. 9. Navarr. l. 3. de rest. c. 1. Azor. 11. l. c. 8. q. 10. Manuel. 1. 10. Summa c. 192. n. 4. Sanch. l. 3. Moral. c. 17. n. 15. Armilla V. Furtum. n. 5. Fachinaus l. 1. Controvers. iuris.

2.7. Barbof. in Pratermiss. c. Querelam de iureiur.

VIII. In deposito & commodato facere compensationem, utroque iure prohibetur l. fin. c. de compens. c. Bona fides eod. Quod Barb. rest. ingit ad depositum verum, excludendo confessatum, quia privilegia veri; & actualis depositi in confesato locum non habent. Trauell. de re tractu 11. 2. §. 4. Quod verò conscientiam attinet, quando quis debitum suum aliter obtinere nequit, posse depositum, vel commodatum sibi retinere, vel totum vel partem pro rata debiti DD multi concedunt. Navarr. c. 17. n. 115. Less. c. 27. d. 4. Tann. 111. d. 4. q. 6. dub. 14. Turrian. d. 33. dub. 3. n. 23. Lugo D. 16. §. 5. n. 89. Silvester etiam V. compensation. 3. cum Panorm. admittit compensationem indirectam, in deposito, commodato, & aliis omnibus. Indirectam vocant, cum res detinetur tam diu, donec satisfactum fuerit. Ratio communis est. In eiusmodi actibus si quæ malitia lateret, esset in modò tantum, quia nimirum sine modo, & ordine iudicii fit: sed hic neglectus excusatur per necessitatem, supponendo aliud nullum superesse, ius suum recuperandi. V. Layman l. 3. tract. 3. part. i. c. 1. n. 9.

IX. Quin etiam in restitutione honoris, & famæ compensationi locum esse probabiliter DD aliqui asserunt: puta, si diffamatus accipiat eam pecuniæ quantitatem, quæ arbitrio viri prudentis sufficiens est, pro oblata famæ restitutione. Nam qui alteri famam abstulit, ex mente s. Thoma q. 62. art. 2. compensare debet, si aliter non potest, in aliis bonis. ergò si voluerit eam compensationem facere, poterit diffamatus accipere eam pecuniæ

quantitatem, quæ virorum prudentum iudicio censetur iusta ad compensationem famæ læsæ. Neque obstat, si invitus est calumniator; quia cum nulla illi iniuria fit, utpote debitori ad faciendam, vel saltem permittendam compensationem rationabiliter invitus est. Arragon. 2. 2. q. 62. art. 2. Card. Lugo disp. 16. f. 5. n. 3.

X. Iniuriam iniuria compensari scitum, & cottidianum est, legibus in eo conniventibus, ne litium multitudine tribunalia obruantur: nec decet prætorum minimis occupari. l. Si quis. §. ult. ff. de dol. mal. Menoch. de arbitr. q. 6. Quo, circa dicenti Titio, Tu spurius es, ex scort. natus, si respondeo Tu verò mentiris compensationem factam esse Zileus asserit To. 1. consil. 5. n. 11. quia naturalis, & moderata defensio est, cum verba verbis tollantur. l. Nihil tam naturale. ff. de reg. iur. l. ut vim. ff. de iust. & iure. Item paulò post. Si iniuria facti factò tollitur. l. 2. tit. de orig. Iuris, iniuria verbo tollitur. Idem VVurmseru, affirmat. l. 1. obs. 118. contra speculatorem, & Panormitanum apud Schneidevvin. l. 4. iust. tit. 6. Neque enim, inquiunt, licet percutere eum, à quo percussus sum, si non fit ad defensionem, ut notatur in l. Ut vim. ff. de iust. & iure. Eandem opinionem sequitur Sebast. Medices in tract. de compensat. part. 1. q. 48. & alii multi. Sed rem ipsam si spectes, & mentem Doctorum, non dissentire cernes: quod Schneidevvinus his verbis indicat. Si non fiat ad defensionem. Dicendum igitur par pari par, contumeliam pro contumelia reddi posse, si non fiat animo vindicandi præcisè (Vindicta enim ad Magistratum pertinet, & malum malo velle, aut reddere ut sic, intrinsecè malum est) sed defendendi honorem

norem & æstimationem suam, cuius gratia aggressorem quoque cum moderamine inculpatae tutelæ occidere licet, ut DD. communiter tradunt. *Azor. III. l. 5. c. 3. q. 7. & seq. Less. c. 9. D. 8. Gaill. l. 2. obs. 101. Fachinus l. 9. c. 12.*

Cæterùm hic duò observanda sunt. Primum est sic injuriantibus mutuo actionem dari: & ipsis cessantibus Fiscus iure suo exigere pœnam seu multam potest, quemadmodum aliqui putant apud *Iul. Clarum V. iniuria.*

Secundum, non censerì compenlatam iniuriam, quando læsio est diversi generis, ut si dixerò, te latronem esse, tu verò me parricidam, aut patriæ proditorem appelles. *c. penult ff. de adult. l. 2. §. si publico. §. Ne quid in loco publ. l. Si duo. ff. de dole l. viro, atque uxore. ff. solu. matr. V. Decian. l. 3. c. 33.* ubi plurib. hanc materiam persequitur. *Socinum in Reg. 86. Delicta paria mutua compensatione tolluntur. Tholosan. l. 38. c. 7. num. 14. Farinac. in Praxi. q. 143. num. 35. Schneidervin. l. 4. instit. tit. 4. Bellet disquis. clerice. part. 1. de favor. cler. Barbosa in c. ult. de adulteriis. Henrig. l. 11. c. 17. n. 3. De compensatione adulterii. V. Sanch. l. 19. de Matrim. disp. 8.*

§. 2.

De Repressaliis.

I. Alius modus præter, & extra iudicium, ius suum obtinendi, & quod pro iniuria deberetur, extorquendi in clarigatione, seu pignoratione consistit. Vulgò Repressalia, aut Repressaliæ appellantur, in civilibus tantùm causis usitatæ.

Sempronius exempl. grat. iniuria mihi per spoliationem allata, vel de solvendo interpellatus renuit, eumque Magistratus quamvis rogatus, ad satisfaciendum non compellit. Ob eam causam literis & consensu à meo Principe impetrato duos vel tres cives illius loci abduco, tamdiu retenturus, dum à Sempronio mihi fuerit satisfactum. Idem in bonis, seu rebus fieri potest. Monet autem *Henningius conf. 35. num. 39.* illum, cui Repressalia conceduntur, non posse sibi personas detinere, vel in carcerem detrudere, deque rebus eorum sibi satisfacere, sed personas, & res iudici præsentandas esse.

Modum hunc *Bartolus* novum vocat, sed antiquissimum esse, & in legibus veterum Romanorum fundatum docet *Zafius in l. 2. ff. de orig. iuris.* & *Gaill lib. singulari, de pignoribus observ. 2.* existimans primum auctorem fuisse *Numam Pompilium*, à quo sæciales constituti, qui sædibus fragis civitatibus, nisi parere vellent, bellum denunciarent. Capiendi seu pignorandi ipsos etiam hostes morem antiquissimum putat *Budæus ad l. Aut facta §. Eventus. ff. de pœn. Tholosan in Syntagm. l. 38. c. 8. Mynsing. cent. 6. observ. 1. Damhoud. in Praxi Crimin. c. 97. Silv. Armilla, & Rosella in V. Repressaliæ.*

II. Repressalias petere à Magistatu licet in quinque Casibus, quorum primus est, cùm iudex requisitus renuit, nec ad superiorem ipsius via patet. *Innocent. in c. Olim de restit. spoliator. Cynus in autb. Ne fil. pro patre.*

Secundus, cùm adversarii mei iudex non vult arbitros dare, aut delegatos iudices

extra